

AN. 229.

II d
1435

Disquisitione Historica

de

SOCIETATE

X1859327

FRUCTIFERA

der

Frucht-bringenden Gesellschaft /

quam

inclytæ Facultatis Philosophicæ

indultu,

publicæ ventilationi

d. 26. Octobr. A. C. 1672.

H. L. Q. C.

exhib.

PRAESES

M. ELIAS Geisler / Reussendorffensis Siles.

S. S. Theologiae Studiosus

&

RESPONDENS

Jacob Friedrich Müller / Syrâ-Variscus:

Bonar. Art. Baccal.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTIANI MICHAELIS.

H. M. Goldha...

K. 229.

45



V I R O

Per-Reverendo Nobilissimo atq; Strenuo

DN. GEORGIO à SCHÖBEL
& ROSENFELD,


Sacr. Cæsareæ ac per Hungar. & Bohem.
Regiæ Majest. Consiliario,

ad S. Sebastiani &c. Magdeburgi
Canonico,

in Societate Fructiferâ

Himmlich = Gesinnten
dicto,

Dn. Patrono atq; Evergetæ
*officioso Observantia & Amoris cultû
aternum prosequendo,*



in

Favoris ulterioris munimentum


&

Gratz mentis monumentum

D. D. C.

Elias Geisler.





B. C. D.



Maxima incrementa Artibus Literisq; ex Virorum doctorum Sodalitiis accedere, saniores gentes neutiquam latuit. Quem enim in finem superiorum munificentia institutum *Museum Alexandrinum* apud ÆGYPTIOS, a. nisi in incrementum Literarum? Eandem ob causam nostram quoque ætate Societates tales ab Eruditis tum ad ingenia excolenda, tum ad promovendas Artes liberales adornatas videmus. In FRANCIA, imprimis *Parisiis*, viret *la Conference des beaux Esprits*: β. in ITALIA, nulla ferè urbs est, in quâ non aliquod Eruditorum sodalitium floret: præ reliquis autem Academia sive Societas *Sitientium Patavii*: *Illustrium in Casale*: *Intronatorum, VI. Nobilium & Accensorum Sienæ*: *Nobilium Bononiæ*: *Olympicorum Veronæ*: *Intentorum Mediolani*: *Apathistarum & Furfurariorum Florentiæ*. Inibi quoque indies succrescunt Academici *Humoristæ γ. Romæ*: *Intrepidi Ferrariæ*: *Insensati Perusii*: *Incogniti Venetiis*: alibi *Inquieti* sunt *clebres*. δ. Apud ANGLIOS hodiè eminent *Illustrissima Regia Societas*, cujus fundamenta stravit ε. Vir incomparabilis *Franciscus Baco de Verulamio*, vice-Comes *S. Albani*, Regni Cancellarius: eandem quasi fugatam *Carolus II. modernus R. A.* reduxit. ζ. Nec GERMANIA nostra laudatissimis ejusmodi hodiè destituitur Collegiis. In flore suo jam cernimus Sodalitium Medicorum sub nomine *Academia Naturæ Curiosorum η.* auctore *D. Joh. Laurent. Bauschio*, Pract. ac. *Physico Svinfurtensium* celeberrimo. Coruscat hodiernum *Pegnicensis & Cygneus θ.* ordo. Quin imò ACADEMIA NOSTRA LIPSIENSIS ejusmodi Collegiis, ad incrementa Studiorum institutis, splendet: cum inter alia *Gellianum Anthologicum & Conferentium* in sinu suo adhuc foveat.

Hiscæ tamen Sodalitiis palmam vel præripere vel certè ambiguum reddere videtur PALMIFER ORDO, in cuius Originem Incrementa Usus & Statuta præsentibus hiscæ thesibus lubet inquirere, DIVINO NUMINE nostris conatibus favente.

α. I. Lipsii syntagma de Bibliothec. cap. ult.

β. quasi dicas, Colloquia Illustrum Ingeniorum.

γ. die Besuchtenden.

δ. videatur curiosissimi D. Phil. Jac. Sachsii ampelograph. in præfat.

ε. Caroli I. Magnæ Britan. Regis benignitate innixus.

ζ. historia Societatis regie, quæ in lingua Anglicâ primùm prodiit Londini A. 1667.

η. de illius Ortu & Progressu, Legibus & Nominibus Collegarum peculiaris extat Narratio, quæ præmissa est Miscellaneorum Curiosorum Medico-Physicorum anno II do Academia Nat. Curios.

θ. vide infra §. 2. litt. u. & v. ubi de Utriusq. ordine satoribus & statoribus.

ι. ductu imprimis Viri Nobilissimi atq. Consultissimi Dn. Georgii Neumarck, Serenissimorum Saxonie Ducum Secretarii intimi Imperialis Archivarii in Neusprossenden Teutschen Palm-Baum / typis edito Vinaria 1668. 8.

§. I.

Illustris hæc Societas appellatur FRUCTIFERA ob duas Rationes:

1. quia cuilibet istius societatis membro incumbit, in defendendâ vel exercendâ Germanicæ lingvæ puritate & elegantia, multivarios ac utilissimos proferre Fructus.

2. quia vigore Legum Societatis cujuslibet Nominis & Symbolo Planta aliqua, quam aliàs Fructifera solet edere terra, loco emblematis explicationis & exornationis gratiâ aptatur. κ.

κ. patebit id inferius ex §. 23.

§. II.

Dantur quidem variæ Societates, quas Fructiferarum nomine possemus salutare λ.; Verùm istæ à nostrâ differunt Fine.

Neq; hic intelligimus illas Societates, quæ etiam excolendæ Germanicæ lingvæ causâ institutæ ac fundatæ sunt, uti Pegnicensis die Pegnitz-Schäferen μ., & Cygnea die Schwanen Gesellschaft ν.; sed illam, quæ κατ' ἐξοχήν dicitur FRUCTIFERA.

λ. earum quendam Catalogum exhibuimus in præmio.

μ. auctore G. Phil. Harsdörffero Patritio Norimbergensi.

ν. auspicio Joh. Ristii Pastoris adornata: quæ de libellum edidit Conradus ab Hofeln.

§. III.

Aliàs vocatam vidi ordinem Palmigerum: ordinem s. Sodalitium

tium Palmiferorum s. Carpophorum : Societatem Palmife-
ram ; Germanicè die Fruchtbringende Gesellschaft : Palmen-orden :
die Palmgenossenschaft.

§. IV.

SOCIETAS ergò FRUCTIFERA est Virorum Illu-
strium [*Subjectum*] Confociatio [*Genus*] à Ludovico Anhaltino
[*Efficiens*] A. C. 1617. [*Adjunctum Temporis*] fundata, ad confer-
vandam & excolendam Germanicæ Lingvæ puritatem [*Finis*].

§. V.

FUNDATOR hujus Societatis florentissimæ fuit Serenis-
simus Princeps ac Dominus DN. LUDOVICUS Princeps
ANHALTINUS, Comes Ascaniæ &c.

Hic aulam suam habuit Cöthen : cætera Princeps suâ ætate
incomparabilis, Arte & Marte insignis, ob merita in Teutoni-
cam lingvæ alter Carolus M. : cujus honos nomenq; laudesq; ma-
nebunt, quamdiu hic Teutonum ordo in Teutonicâ durabit terrâ.

Principem hunc laudatissimum Societas, ut Supremum Pri-
mumq; Directorem, per XXXIII. annos venerata fuit : nempe ab
A. C. 1617. usq; ad diem 7. Januar. 1650. quo diem suum obiit.

§. VI.

Causæ ADIUVANTES fuere partim Serenissimi ac Cel-
sissimi Principes, JOHANNES ERNESTUS, FRIDE-
RICUS, & WILHELMUS Duces Saxo-Vinarienses : itemq;
JOHANNES CASIMIRUS Princeps Anhaltinus; par-
tim etiam alii, putà Dietericus von dem Werder Colonellus &
rei militaris Præfectus, Fridericus à Kospoth Camerarius Vina-
riensis, Christophorus à Krosig, interq; hos non ultimo sed prio-
ri loco nominandus CASPAR à TEUTLEBEN aulæ
Vinariensis Magister.

§. VII.

IMPELLENTEM causam meritò dixerim imminentem
Corruptionem aut interitum patriæ nostræ Lingvæ.

Cùm enim tunc temporis vocabula Peregrina (præcipuè au-
tem Gallica) puræ perfectæ ac genuinorum vocabulorum non
egenæ sed locupletissimæ lingvæ, irruptionem minarentur maxi-
mè damnosam : saluberrimo DN. TEUTLEBII consilio

commotus LUDOVICUS ANHALTINUS, cæteros Synergetas gravibus admodum rationibus & orationibus commovit, ut imminente malo maturis conjunctisq; resisterent viribus.

§. VIII.

Accedebat instantis Belli Germanici occasio, quæ quàm facillimè partum exitialem fovere ac educare potuisset, rerum historicarum gnaris conjectare licet.

Nisi fallor ipsa Italia, quæ antehac purissimæ Latinitatis sedes ac arbitra fuit, testis apertissima fuit. Etenim Vandalorum Hunnorum Longobardorum aliorumq; Barbarorum irruptionibus eò redacta est Romana lingua, ut non tantum è Latii oppidis, sed etiam ex ipsâ Româ, exulatum abire coacta fuerit. §.

§. quæ de re videri potest G. Hornii hist. philosoph. Lib. 5. c. 8. p. 281. & seq. Joh. Henr. Alstedii encyclopæd. lib. 32. in historicâ. c. 10. reg. 6. p. 2019.

§. IX.

Ex dictis apparet, *Primum* hujus Societatis FINEM s. SCOPUM esse *Conservationem & Incrementum Lingvæ Teutonice.*

Inde cuilibet, quî Studia sua Illustri huic Ordini consecrare cupit, summæ curæ esse debet, ut non tantum Vernaculæ nostræ lingvæ nativa Puritas ab omnium Aliarum lingvarum admistione facta tectaq; conservetur; sed ut etiam ejusdem Elegantiâ purissimâ dialecto in Loquendo, & selectissimo stylo in Scribendo excolatur.

§. X.

Secundarius FINIS respicit veteris in Germaniâ Candoris Fideiq; pristinæ renovationem aut stabilimentum.

Uti enim *Lingvæ Teutonice* gravitas per incautos pergrinatos res exoticis *Vocabulis* contaminata fuit: sic Germanorum *Integritas* per eorundem affectatos *Mores* peregrinitatem quandam attraxit.

§. XI.

Sumpfit, non sine omine, Palmiferorum ordo initia ANNO hujus seculi XVII.: etenim quo ante seculum Religio Christiana (traditionibus humanis deformata) reformata fuit ministerio Martini Lutheri, Principis Theologorum in Germaniâ: eodem anno in eadem Germaniâ Germanica lingua, peregrinis vocabulis

bulis conspurcata, repurgari ac pristinae suae majestati restitui coepit ope Principis Ludovici Anhaltini.

Annum foundationis satis commode exprimunt haec mnemonicae voces:

Der hOCLÖBLICHen frUCHtbrIngen Den gesELLschafft Ursprung.

Dies autem natalis fuit XXIV. mensis Augusti, qui alias D. Bartholomæo sacer est. §. XII.

LOCUS, ubi fundata est Illustrissima Societas, fuit arx Vinnariensi urbi adsita, Hornstein: quæ tamen hodiè à Wilhelmo Duce Saxoniae, qui eam elegantibus exornavit structuris die *Wilhelmsburg* vocatur.

§. XIII.

PERSONÆ, quas florentissima Sodalitas recipit, sunt tum *Illustriores*, tum *Minus illustres*. Illuc refero Principes, Comites ac Nobiles; huc Viros Arte vel Marte maximè insignes.

Per Viros Arte insignes intelligo eos, quos eruditionis ac prudentiæ fama reddit conspicuos.

§. XIII.

Neutiquam ergò aditus patet iis, quos *Natalium infamia* aut *turpis Vita* dehonestare solet: id quod in aliis quoque benè institutis collegiis prudenter observari, notum est.

Feminas quoque excludi experientia loquitur. Quamvis enim ad exemplum provocari possit contrarium, quo Illustris quaedam *Fæmina* in Palmiferorum ordinem recepta fuit; tamen illud exemplum fuit planè Singulare: adde, quod etiam Proprium nomen non acceperit sed Parentis sui, qui alioquin Sodalitii membrum fuerat, characterem usurpaverit.

§. XV.

RECEPTIO in hunc ordinem est vel *Immediata* vel *Mediata*.

Immediata fit presentibus tum Societatis *Præside* s. *Directore*, tum *Candidato*, qui in Societatem cooptari o. desiderat.

Mediata receptio contingit dupliciter: vel enim futurus Sodalitii *per Alium* ceu delegatum, nomine & autoritate Directoris, vel *per Litteras* absens & sine delegato recipitur.

• quibus solennitatibus & ceremoniis Cooptatio illa perficiatur, indicat citat. Georg. Neumarch im Deutschen Palmbaum c. 7. a p. 183.

§. XVI.

§. XVI.

Quoniam autem nullum Republicæ aut Collegii corpus sine Legibus, tanquam ejus animâ dirigente, perennare potest: proinde florentissimæ hujus societatis Fundatores non tam de eâ adorandâ, quàm adornatæ Conservatione, quæ quàm optimè per LEGES fit, fuerunt solliciti.

§. XVII.

Leges verò suas ad mysticum quasi numerum restrinxerunt, scilicet ad Ternarium.

Prima Lex commendat omnibus & singulis membris Virtutes tam Intellectuales quàm Morales.

Secunda Germanicæ Lingvæ tum in Sermone tum in Scriptis, culturam & elegantiam Præcipit, & cum vocabulis Exoticis commercia severè Prohibet.

Tertia Ordinis Consecratos admonet, ut quilibet in Societatis honorem ac memoriam sibi comparet Picturam ex opere encaustico conflata, sive, in quâ encaustum Picturam in auro exprimit: ita quidem ut in unâ facie *Palmiferi Ordinis*, in alterâ membri cujusq; *Nomen, Planta* (emblematis vicem sustinens) & *Symbolum* exhibeatur. Hujus aureæ Tesserae ornamentum sericæ ligulæ eidemq; viridi π . annexum, quilibet Sodalis collo appensum gestare debet.

π . quædam colorem psittacorum plumæ ostendunt. Germani vocant Sittig-grün.

§. XIX.

Operæ pretium est, ut Leges sive Statuta illa huc transcribantur:

Zum Ersten:

Sollen sich alle Fruchtbr: Gesellschaffter / wes Standes oder Religion Sie sein / Erbar verständig und weise / Tugendhafft und Höfflich / Nützlich und Ergetzlich / Leutselig / mässig / überall erweisen / rühmlich und ehrlich handeln / bey zusammenkünfften sich gütig / frölich und vertraulich / in Worten Geberden und Wercken treulich erweisen. Und / gleich wie bey angestellten zusammenkünfften keiner dem andern ein wideriges Wort übel auffzunehmen / höchlich verboten: also sol man auch dagegen aller unziemenden Reden und groben Scherzens / sich zu enthalten / festiglich verbunden seyn.

Zum Andern:

Soll auch den Gesellschafftern vor allen dingen obliegen / unsere hoch-

hochgeehrte Mütter-sprache / in ihrem gründlichen Wesen und rechtem Verstande / ohn einmischung Fremder ausländischer flichwörter / so wol in Reden Schreiben Gedichten / aufs aller zier- und deutlichste zu erhalten und auß zu üben : auch so viel möglich / insonderheit bey den Mittgesellschafftern / zu verhüten / daß diesem in keinem nicht möge zu wieder gehandelt / vielmehr aber gehorsamlich nachgelebt werden : wozu dann einem jedweden seine beywohnende Höfflichkeit / ohne das vielfältige Anleitung geben wird.

Zum Dritten :

Sollen auch alle Gesellschaffter zu gebührender Danckbezeugung der erwiesenen ehre sich belieben lassen / ein in Gold geschmelztes Gemähle / worauff einseitig der Palmbaum und das Wort der Fruchtbringenden Gesellschafft geordnet ; anderseitig aber des Gesellschaffters selbst eigenes Gemähl mit dem Nahmen und Wort / an einem sittig-grünen seidenen Bande zu tragen : Damit Sie sich untereinander bey begehenden zusammenkunfften desto leichter erkennen / und dadurch dero hochrühmliches Vorhaben kündig gemacht werden möchte.

§. XIX.

INSIGNIA, quibus, tanquam peculiaribus Characteribus, ab Aliis societatibus Nostra discernitur, sunt 1. *Nomen*, 2. *Emblema*, 3. *Symbolum*.

§. XX.

De NOMINE, & cur appelletur *Fructifera*, egimus supra §. I.

§. XXI.

EMBLEMA Palmiferi Ordinis nitidâ commodâq; picturâ expressum, est *Palma* *q.* *Indicæ* terræ arbor: *Indianische* *Palm-* oder *Kofosbaum*. Ratio est, quia *PALMA* innumeras planè suppeditat utilitates, quas *Apodemici* pariter atq; *Botanici* nunquam satis deprædicare possunt: certè, sola hæc arbor sufficientem materiam præbet ad totam *Navem* non tantùm extruendam, verùm etiam variis mercibus, nimirum *Oleo*, *Vino*, *Aceto*, *Saccharo*, *Lacte* aliisq; instruendam.

q. Legi meretur *Johan. von der Behr Ost-Indianische Reise-beschreibung* p. 49. seqq. uti & *Johann. Neuhofii allgemeine Beschreibung des Reichs Sina*, cap. 15. fol. 365. seq. qui inter alia sic scribit: *Sonderlich ist notabel, daß dieser einzige Baum alles verschaffet / was zu einem Schiffe / so wol seine zurüstung als Ladung betreffend / er-*

B

for.

fordert wird. Denn von dem Stamm und Zweigen werden in In-
dien die Masten/ Breter und Steuerhölzer: Von den Blättern die
Segel: Von den Faseln der äußersten Schalen die Schiffseile oder
Zawe gemacht: Und die Frucht selbst gibt zuletzt die Ladung.

§ XXII.

LEMMA five SYMBOLUM emblematis inserviens exhi-
betur hisce verbis: **Alles zu Nutzen.**

Ratio est, quoniam omnes & singulæ societatis actiones ad
Publicum & Privatum *Commodum*, tanquam supremum Scopum
referendæ ac dirigendæ sunt.

§. XXIII.

Quemadmodum autem *Totus Ordo Palmifer* peculiaribus no-
tis ab omnibus aliis Ordinibus discernitur: sic *Singuli* hujus or-
dinis affeclæ, tanquam ejus membra, peculiare accipiunt

NOMEN: σ

Nomini accedit partim EMBLEMA, in aliquâ Plantâ a-
dumbrandum, partim etiam SYMBOLUM r. explicans
emblematis indolem & notas, quibus à reliquis Sodalibus di-
gosci queant. v. g. Serenissimus ac Potentissimus Elector Saxonæ
JOHANNES GEORGIUS II.

Nomine gaudet des Preißwürdigen:

Emblema repræsentat einen Cederbaum:

*Symboli epigraphe his verbis absolvitur: Bestehet Unwan-
delbar:*

σ. *Nomini subesse posse Omen, evicit exemplum Caroli Gustavi Comitis Palatini,
q̄bi primò Nomine des Erhabenen / postea etiam ipso Regio folio apud Sæones
potitus est.*

τ. *Symbolum Ingeniosum & Elegans esse solet ac debet. In eo enim Symbolorum
natura consistit, ut Breviter, Eleganter & Ingeniosè concipiantur: q̄vâ in ar-
te non soli Galli & Itali, sed etiam nostri Germani excellunt. Testes asserti
mei adducet apophthegmatum compilator J. L. VVeidnerus in Continatio-
nibus Zinegrâsianis.*

§. XXIV.

Nullum Corpus sine *Capite* existere posse, effatum Physicorum
est. v. Illustris Palmiferorum ordo tanquam corpus aliquod poli-
ticum, spiritûs vitales diu tueri vix potuisset, nisi summo aliquo
præditus fuisset *Capite*.

Hactenus autem per 55. annos sub Tribus Capitibus five D I-
RECTORIBUS floruit:

v. uti

¶ uti testatur Epiri dux Georgius Castriota, sive (uti Turcis ob præclarè gesta dicebatur) Scanderbegus, apud Mich. Piccartum dec. 17. observat. hist. polit. c. 9. p. 357.

§ XXV.

Primus Director & Patronus fuit LUDOVICUS Anhaltinus Princeps, Comes Ascaniæ, Dominus in Bernburg & Zerbst &c. titulo des *Lehrenden* ornatus. Præfuit ab anno 1617. (Primo Societatis anno) usq; ad 1650. d. 7. Jan. quo ipso obiit. Tempore præsidii hujus, quod est 33. annorum, Sodales 526. Ordini huic illustri adscripti sunt. §. XXVI.

Succefforem nactus est A. 1651. d. 8. Maji VVILHELMUM, Ducem Saxo-Vinariensem, nomine des *Schmackhaften* notabilem. Laudatissimus hic Princeps die 17. Maji A. 1662. mortalitatem explevit: postquam Societatem intra 11. annos 262. membris adauxisset.

§. XXVII.

Tertius Director, quem hodiernum Illustris Palmiferorum ordo ut Præsidem & Patronum veneratur, est Reverendissimus Serenissimus atq; Celsissimus Princeps ac Dominus DN. AUGUSTUS, Postulatus Administrator Primatus & Archi-episcopatûs Magdeburgensis, Dux Saxonæ Juliæ Cliviæ ac Montium &c. Palmiferi ordinis der *wohlgerathene*. Directoris honor Serenissimæ ejus Celsitudini communi Societatis suffragio ante quinquennium nimirum A. 1667. d. 15. Julii oblatus fuit.

Recepit hætenus in numerum Palmiferorum 28. capita.

§. XXIIIX.

Sub horum Illustrissimorum Directorum patrocínio & præsidio maxima sensit Incrementa fructifera Palma: ita quidem, ut à primo conditæ Societatis anno (1617) usq; ad præsentem (1672), viri 817. tam Gente quam Mente ac Meritis illustres, in eam cooptati fuerint. Inter hos enim numerandi veniunt:

Unus REX, Carolus Gustavus, Rex Sveciæ, der *Erhabene*.

Tres ELECTORES S. R. I., nimirum:

1. der *Preißwürdige*. is est Serenissimus ac Potentissimus Elector Sax. DN. Johannes Georgius II. S. R. I. Archimareschallus &c.
2. der *Auffrichtende* / Georgius Wilhelmus, Elector & Marchio Brandenburgicus.
3. der *Untadeliche* / Serenissimus ac Potentissimus Elector Brandenburg.

QK Ttd 1735

- burg. DN. Fridericus Wilhelmus, S. R. I. Archi-camerarius. &c.
- 53. DUCES.
 - 4. MARCHIONES.
 - 10. LANDGRAFII.
 - 5. COMITES PALATINI.
 - 19. PRINCIPES.
 - 62. COMITES.
 - 36. LIBERI BARONES.
 - 621. alii viri, Togæ Sagiqve artibus domi forisqve clarissimi.

§. XXIX.

Non autem solo *Nomine* aut ob suos *Consecratos*, sed & *Re ipsâ* hæc Societas appellatur **FRUCTIFERA**: testantur hoc innumera Palmiferorum *Scripta* Φ . quæ hætenus in luce in publicam Germano expolita idiomate prodierunt.

Φ . in iisdem recensendis & dijudicandis operosus est Just. Georg. Schottelius in opere von der Teutschen Haupt-Sprache lib. 5. tractat. 4.

§. XXX.

Ipsæ Fundator illustris Ordinis der *Nehrende* / non tantum aliquot Malvezzi libellos Italicos germanicè loqui docuit: verum etiam de Sapientibus veteribus piam meditationem de Longævâ & brevî vitâ, posteritati reliquit.

Alter societatis Director der *Schmachhafte* varios composuit hymnos, devotionis studio non inutiles.

Sic etiam der *Sütternde* / HERMANNUS HASSIÆ Landgrafius, vanitatem mundi de Serre gallicè descriptam, germanicæ lingvæ familiarem reddidit.

Taceo den *Unglückseligen* Johannem Wilhelmum L. B. von *Stubenberg* / & *Spielenden* Georgium Philippum *Harßdörfer* / quorum laudata laudandaq; scripta statis evincunt quod

DIXI.

Additamenta :

- 1. SOCIETATES *Domestica* (*Nuptialis, Herilis, Paterna*) sunt *Simplices*.
- 2. FRUGIFERAS esse quascunq; arbores, licentiùs statuit Lamb. *Daneus*.
- 3. Virtus Heroica in *Feminas* quoq; cadit.
- 4. Forma non apprehenditur *Sensû*.
- 5. Suburbia sunt partes *Urbis*.
- 6. Habitus in partes *secari* nequit.
- 7. Non omnis *Actio* bona est, bonâ quæ fit *Intentione*.

S. D. G.

Wm


m.c



DN.

Sa

BIB
PON



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Strenuo
HÖBEL
LD,
& Bohem.

burgi

ten

vergeta
ultu



m

at
tu
Fl
B
fo
Si
bi
ro
Fl
y
ti
er
in
A
m
da
ce
C
P
gr
S
S
la